



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Neptunus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** tur, quod raro tamen accidit: quia Taurus quantumlibet longe abfuerit, accepta voce statim occurrit. Ea- que de causa Aegyptii Sacerdotes per auriculam Tauri pictam, auditum & obsequii sedulitatem indicabant. Pari modo Juvencæ quoque Tauro se morigeram præbet. Sanè Vaccam Aegyptii Veneri dedicarunt, quam cœlestem vocant, & Isis lux frontem cornibus insignitam ostentabant: quippe ob obsequium quo ipsa quoque Tauro pareat, simulac incitati ejus ad Venerem mugitum adierit. Licet vero singulis animantibus voces propriæ ad initium sint, ut Suibus, & Capris, & Ovis, nulli tamen gravior quam Bubus fœminis. In reliquis porro animalium generibus mares gravis sonant quam fœminæ: in Bubus è contrario est, ait Aristoteles: nam Boum fœmina graviorem quam mas vocem habet.



NEPTUNUS CAP. VIII.

**A** T cum mugitus pelagi Turino sit non absimilis, & ipsi Neptuno Tauros immolabant, & eum ab eodem mugitu *αὐκωρῆς* appellabant: quia idem Deus à sacerdotibus nonnunquam *ταῦρος* nuncupatus est. Quos vero Tauros Neptuno sacros esse volebant, undecumque nigros deligi iusserunt, ut ita pelagi colorem exhiberent. Atram enim, nigram, obscuramve maris aquam dicere mos ubique est, unde etiam Aquilam, ab aquæ colore, quippe fusco, dictam volunt, Deumque ipsum cæruleocomum, & cæruleo indumento vestitum passim invenimus. Adhæc pectus illi prævalidum, armique Taurorum in morem carnosiores attribuuntur. Hinc in pulcherrimo Syracusanorum nûmo latum conspicias portum, in cuius medio ea membrorum habitudine Taurus procumbit, Delphinis circum colludentibus. Qui vero ludi Taurii nuncupati fuerunt apud Romanos, haud quaquam Neptuno, sed inferis diis instituti erant ad sedandam pestilentiam, quæ Tarquinio Superbo Rege in mulieres gravidas sæviebat: inde scilicet ortam, quod earo Taurina populo divendita fuerat. De Neptuno vero, qui *ταῦρος* ut apud Hesiodum in Scuto Herculis, vocaretur, alii dicunt propter undarum sonum, quæ, uti dicebamus, Boum instar mugitant: alii, quia Neptunus Taurina induebatur galea, vel quia ita eum Bœotii vocitabant, à Tauri sacrificio, quod illi erat institutum, de quo Maro:

*Taurum Neptuno, Taurum tibi pulcher Apollo.*

*Syracusanorum nûmus.*  
*Ludi Taurii.*  
*Æn. lib. 3.*

FLUVII. CAP. IX.

**Q**uin & fluvios ipsos cornigeros, *ταυροκέρας*, hoc est, Tauricornes, vel *ταυροκέρας*, Tauricipites, ut luculentam apud Græcos locutionem interpretemur, passim effingunt. Hinc Tiberis Maroni,

*Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum,  
Et gemina auratus Taurino cornua vulsu  
Eridanum.*

*Æneid. lib. 8.  
Georg. li. 4.*

Ut apud Ovidium in Metam. *Grænicæ nata bicorni*, non ut vulgata habent exemplaria, *Græcili cognatæ Grænicæ*. Sic Tauriformis Ausidus Horatio. Nam & Taurum à Perillo Phalaridi donum datum, Gelonis fluvii fuisse imaginem, apud Pindarum in Pythiis legas. Et Timæus Taurum eum, quamvis ita dictum ab Agrigentinis in mare projectum asserit, ne qua tam sævi tyranni memoria superesset. Comminum pluribusque demum in locis flumina Taurina specie fingi solita comperimus: ut Eurotas apud Lacedæmonios, Cephissus apud Argivos. Afopus apud Sicyonios & Philiasios fuere: quem tamen Athenienses humana facie figurabant, cornibus tantum à fronte prominentibus, sive propter mugitum, quem,

E